

At ex doctrina divi Thomæ in 4. dist. 24. pie credi potest quod summus sacerdos suppleat quantum ad ultimos effectus sacramentorum, saltem juxta desiderium et voluntatem fidelium Sacramenta suscipientium.

3. Quid vero de Matrimonio, cui presbyter non baptizatus assistit? Receptum nunc communiter est parochum non uti ministrum assistere, sed uti testem qualificatum; unde valet matrimonium, licet parochus assistat invitus et excommunicatus. Hinc DD. communiter inferunt matrimonium hujusmodi valere. Nam ut testis qualificatus sit, sufficit titulus coloratus et communis aestimatio, seu error communis.

TITULUS XLIV.

De custodia Eucharistiæ, chrismatis et aliorum sacramentorum.

1. In c. 1. præcipitur ut in Ecclesiis fideliter, adhibitis clavis Eucharistia custodiatur. Confirmatur ex c. 6. sess. 13. De Ref. in Tridentino. Contra incaute custodientes Innocent. in c. 1. h. t. comminatur pœnam suspensionis trium mensium; sub simili diligentia et pœna præcipitur custodia S. Chrismatis. Ex lege generali in Trid. c. 8. sess. 21. De Ref. Episcopus est vindex hujus custodiæ, qui potest etiam punire regulares et alios exemptos in hac custodia delinquentes ex resolutione S. Congr. EE. et RR. diei 8. Jan. 1724 approbata ab Innoc. XIII. Qui insuper regulares in suis Ecclesiis non possunt SS. Eucharistiæ Sacramentum exponere nisi ex publica causa ab Episcopo probata: ex causa autem privata possunt sed dummodo non extrahatur a tabernaculo.

2. Lex quæ in c. 1. h. t. est de custodia Eucharistiæ et S. Chrismatis in omnibus Ecclesiis tangit solum Ecclesias parochiales. In aliis ecclesiis sæcularibus non parochialibus permanentemente et ordinarie asservari nequit absque Sedis Apostolicæ beneplacito. S. Congregatio Concilii in Cajacen. 12. Jan. 1630. Excipitur nisi habeatur consuetudo immemorialis. Ita S. Congregatio Concilii die 27. Apr. 1709. Asservari etiam potest permanentemente in Cathedrali Ecclesia extra tamen altare majus. S. Congreg. EE. in Lucensi diei 10. Febr. 1579. Pariter ex c. X. sess. 25. De Reg. in Trid. potest permanentemente asservari Eucharistia in Ecclesiis monialium non tamen infra chorum. Ad tempus potest in Ecclesiis non parochialibus asservari Eucharistia ex Episcopi licentia.

Ex Constitutione Innoc. IV. Sub Catholice, 6. Martii 1254 et Clementis VIII. Sanctissimus, 31. Aug. 1595 S. Eucharistia a Græcis renovanda est singulis octo vel quindecim diebus a Latinis vero differenda non est renovatio ad quindecim dies sed quolibet octiduo, vel die dominica, vel feria quinta. S. Congreg. EE. in Raven. 8. Apr. 1573.

TITULUS XLV.

De reliquiis et veneratione Sanctorum.

1. Priscis Ecclesiæ temporibus usque ad Alex. III. Episcopus in sua diœcesi expensis virtutibus et miraculis factis intercessione alicujus vita functi, eidem publicum cultum tribuebat in sua diœcesi, et patronum cœlestem declarabat fidelium suorum; scilicet ei honores beatificationis concedebat. At vero solemnitas canonizatio, qua præcipitur, ut cultus publicus tribuatur alicui sancto homini in universa Ecclesia, fuit semper causa major, et vel Concilio generali reservata juxta responsa Urbani II. et Callisti II. vel reservata Romano Pontifici ceu patet ex gestis Benedicti VIII. et Benedicti IX. Conf. Benedicti XIV. De Servor. Dei Beatif. et Canoniz. t. 1. c. lib. 1. c. 10.

2. At in c. 1. h. t. Alex. III. prohibuit ne aliquis publica veneratione coleretur ullo modo absque auctoritate Romani Pontificis. Quare etiam beatificatio servorum Dei facta est causa major Romano Pontifici reservata. Accesserunt decreta Urbani VIII. relata in ejus Const. Sanctissimus 13. Martii 1635 et in alia Const. Cœlestis Urbs Hierusalem. 5. Julii 1634.

3. De reliquiis sanctorum habemus c. 2. h. t. in quo præsertim tria prohibentur 1º. ne exponantur venales, scilicet ne exponantur quæstus causa. Consonat Tridentinum in decreto de invocatione vener. et reliq. Sanctor. sess. 25. In hoc decreto præcipit ut omnis quæstus turpis eliminetur. Hinc nec vendi nec emi possunt servorum Dei reliquiæ. Exceptio fit nisi redimi debeant e manibus infidelium vel hæreticorum. Thesaurus De pœnis eccl. verbo reliquiæ c. 1.

4. Præcipit 2º loco caput 2. ne reliquias de novo inventas aliquis venerari præsumat absque prævia probatione Apostolicæ Sedis. At in cit. loco Tridentini Episcopo tribuitur facultas novas reliquias probandi. Quæ probatio Episcopi requiritur etiam si reli-

quia exponendæ sint in Ecclesiis regularium quemadmodum patet ex decreto S. Congr. Conc. in *Viterb. 25. Junii 1622*. Si vero jam sint repositæ, non potest Episcopus eas visitare. S. Congr. in *Urb. 10. Martii 1663*. Huc referri potest *can. 37. De Consecr. dist. 1.* cujus virtute extrahi possunt et transferri ab Episcopo absque venia Romani Pontificis antiquæ reliquiæ quæ in capsis asservantur. Tandem in *c. 2.* præcipitur prælatis, ne permittant fideles in veneratione sacrarum reliquiarum decipi falsis documentis. Consonat Tridentinum in *cit. loco*, in quo etiam præcipit nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere imaginem nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo.

5. Cæterum cum Concilium concedat Episcopo facultatem approbandi vel miracula, vel reliquias novas non debet intelligi eo sensu quatenus possit Episcopus aliquem pro sancto declarare aut probare quoad cultum reliquias ejus, aut pariter probare authentica miracula alicujus servi Dei nondum in album vel Beatorum vel Sanctorum a Romano Pontifice relati. Sed facultas respicit vel miracula et reliquias servorum Dei, de quorum cultu et veneratione in Ecclesia legitima data est definitio; vel si respicit miracula et reliquias alicujus servi Dei de cujus beatificatione, aut Canonizatione adhuc actum non est apud S. Sedem, probatio Episcopi dirigi non potest in ordine ad cultum publicum Servo Dei exhibendum.

TITULUS XLVI.

De observantia jejuniorum.

Lex ecclesiastica de observandis jejuniis certa est; modus autem observandi eadem jejunia determinatur a sacræ theologiæ moralis tractatoribus.

TITULUS XLVII.

De purificatione post partum.

In *c. un. h. t.* declaratur non amplius vigere legem *Levit. 12.* qua mulieribus post partum præficiantur certi dies quibus debebant abstinere ab ingressu templi, iisque expletis certum purificationis modum et situm observare tenebantur. At ex devotione in

Ecclesia instituta est benedictio quæ puerperæ ante ingressum in Ecclesiam impartitur. Hæc benedictio de præcepto non est. Datur vero a Parocho, et recensetur inter jura parochialia. Ita definit S. Rit. Congr. *die 10. Dec. 1703* et S. Congr. Conc. *die 18. Nov. 1862* dummodo consuetudo contraria non adsit.

TITULUS XLVIII.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis.

1. Cum ædificatio novæ Ecclesiæ secumferat onus eam conservandi et reparandi, hinc in jure non est considerata ceu res undequaque favorabilis et potius reparatio Ecclesiæ collabentis considerata est ceu favorabilior ipsa ædificatione: nam indecens prorsus est locum Deo dicatum derelinqui ac ruinis corru.

2. Hinc ædificari non potest Ecclesia nisi quibusdam sub conditionibus. 1°. Requiritur consensus Episcopi, quodsi erigendum sit templum in loco exempto requiritur venia Romani Pontificis. Ajunt vero DD. consensum tacitum sufficere. Juxta mentem canonum Episcopus vel per se vel per alium atrium seu aream definire debet, ibique figere crucem et primum lapidem ponere. Ita *can. Nemo. 9. De Cons. dist. 1. et Gloss. ibi.* 2°. Requiritur ut antequam procedatur ad ædificationem constet de sufficienti dote constituta ad fabricæ conservationem et divini cultus observantiam, nec non ministrorum sustentationem. Ita in *cit. c. Nemo 9. De Cons. dist. 1.* Concordat jus civile in *Nov. 67. c. 2.* 3°. Requiritur ut nemini præjudicium inferatur. De hac conditione sermo est cum agitur de erigenda nova parochiali Ecclesia intra limites alterius. De qua re jam actum est superius. Antiqua forma Ecclesiarum consuevit esse oblonga ut indicaret naviculam S. Petri quæ Ecclesiæ figura fuit. Ex S. Clemente et antiquis Patribus Altare majus ad orientem conversum solebat esse ut indicaret Christum, qui ad Orientem ascendit juxta illud Davidis *Ps. 67. v. 34.* 'Psallite Deo qui ascendit super cælum cœli ad orientem,' et inde creditur esse venturus juxta illud *Matth. 24.* 'Sicut enim exit fulgur ab oriente et paret usque in occidentem ita erit et adventus filii hominis.' At mos hic nullam inducit legem.

De reparatione ecclesiæ.

3. DD. conveniunt circa onus Ecclesiam reparandi, considerandam esse præ omnibus consuetudinem et statuta locorum. Nec

statutis extantibus nec consuetudine ex *capp. 1. et 4. h. t.* et ex *c. 7. sess. 21. De Ref.* in Tridentino deducuntur hæc principia. 1^o. Reparanda est Ecclesia ex redditibus Ecclesiæ et fabricæ inter quos adnumerantur etiam fructus non percepti a negligentibus et a jure applicati fabricæ. Qua insuper in re pro Italia et insulis adjacentibus valet *Const. Bened. XIII. Pius et Misericors V. idus Maji 1725* in qua præcipitur ut pro reparanda Ecclesia Cathedrali imponantur mediæ annatæ solvendæ ab omnibus clericis diocesis cum beneficium quodcumque in diocesi obtinent a Curia episcopali sive per liberam collationem sive per institutionem. Pro reparanda vero Ecclesia Collegiata solvendæ sunt mediæ annatæ a clericis provisus de beneficio in ipsa Ecclesia Collegiata. Excipiuntur beneficia curata quorum annui redditus non superant centum scutata. 2^o. His deficientibus in parte vel in toto, tenentur contribuere rector seu parochus et alii qui beneficia possident in Ecclesia reparanda. Hæc vero contributio fieri debet juxta *c. 4. ex superfluis scilicet detractis pro sustentatione clerici cujus computatio relinquatur prædicti arbitrio judicis, habita ratione temporis loci et personarum.* 3^o. In horum defectu tenentur patroni et omnes alii qui fructus aliquos ex Ecclesia reparanda percipiunt. 4^o. Tandem si Ecclesia est parochialis populus seu fideles qui sacramenta percipiunt, tenentur in capita concurrere ad reparationes perficiendas, quos Episcopus opportunis remediis appellatione remota ad id præstare compellere potest. Si vero nullus adsit qui ruinosam Ecclesiam possit reparare, ea destrui potest et ejus jura, fundi etc. ad matricem Ecclesiam vel si filialis non sit, transferuntur ab Episcopo ad viciniorem Ecclesiam, et in loco destructæ Ecclesiæ crucem collocabit, ut significetur ibi quondam fuisse Ecclesiam nec locus poterit converti in usus profanos sordidos. Ita Trid. loco cit. *c. 2. sess. 21.*

TITULUS XLIX.

De immunitate ecclesiarum, cœmeterii et rerum ad ea pertinentium.

1. Immunitas idem est ac libertas a munere seu ab officio et onere. Definitur communiter 'Jus quo loca, res vel personæ ecclesiasticæ a communi onere seu obligatione liberæ sunt et exemptæ'. Hinc immunitas dici etiam potest exemptio ecclesiastica *c. 7. h. t.*

Immunitas in sensu exposito non est repetenda ex concessione potestatis civilis, nam ex una parte semper penes omnes gentes vidimus loca sacra, res et personas divino cultui consecratas immunes fuisse, et quodammodo segregatas a communi commercio, et a legibus communibus, et ex altera parte nemo est, qui non videat indecens prorsus esse cultui divino ut communi censu habeantur eadem loca, res et personæ, quæ Deo inserviunt. At non omnis immunitas potest proprie deduci ex jure naturali aut positivo divino. Nam utrumque jus decentiam et convenientiam immunitatis utique insinuant, legem vero rigorosam non exhibent. Hinc origo immunitatis erit potius ex lege positiva Ecclesiæ quæ tamen fundatur in intentione juris naturalis et divini. Hinc Trid. *c. 20. sess. 25. De Ref.* eam constitutam fuisse ait ex divina ordinatione et ex canonicis sanctionibus.

2. Ex ipsa definitione patet triplicem esse immunitatem seu *localem, realem, personalem.*

Localis est jus Ecclesiæ in favorem religionis tamquam loci sacri seu ad pios usus auctoritate ecclesiastica deputati vi cujus juris in hoc loco sacro non licet exercere actus profanos repugnantes sanctitati et reverentiæ debitæ loco sacro; necnon conceditur libera commoratio ibidem ita ut non possit ab loco immuni violenter extrahi, qui eo confugit nisi auctoritas ecclesiastica veniam impertiatur. Competit vero hæc immunitas 1^o. omnibus Ecclesiis consecratis, vel benedictis licet hujusmodi Ecclesiæ sint violatæ *c. 9. h. t.* 2^o. locis Ecclesiæ adherentibus uti sunt Sacristia, porticus, atrium Ecclesiæ *c. 20. caus. 17. q. 4.* Quæ enim religiosis adherent, religiosa sunt *l. 43. ff. De rei vindic.* 3^o. Competit hoc jus cœmeteriis Ecclesiarum seu quæ ipsis Ecclesiis adherent. Ita in *c. fin. h. t. et c. 2. eod. in 6^o.*

3. Ob privilegium immunitatis ab actibus profanis prohibentur in locis designatis 1^o. sub pœna excommunicationis causæ criminales in quibus agitur de sanguinis effusione vel de pœna capitali. Ita *c. 5. h. t.* 2^o. Pertractari non possunt in iisdem locis judicia sæcularia, seu civilia sub pœna nullitatis actorum *c. 2. h. t. in 6^o.* Non vero prohibentur a iudicibus ecclesiasticis ecclesiastica judicia ibidem peragi, aut etiam actus extrajudiciales et exercitium jurisdictionis voluntariæ, si dirigantur ad fovendam pietatem et bonum religionis. 3^o. Ex eod. *c. 2. h. t. in 6^o.* prohibetur contractuum et negotiationum vel nundinarum exercitium. 4^o. Læditur immu-

nitatis Ecclesiarum et aliorum locorum piorum si per vim effringantur portæ aut alio modo inferatur per violentiam injuria loco sacro. Quo in casu jure antiquo statuta erat excommunicatio latae sententiæ c. 22. *De Sent. excomm.* At de hac pœna tacet Const. *Apostolicæ Sedis*. 5°. In genere prohibentur omnes actus, quibus turbatur cultus sacer, aut læditur reverentia debita religioni ex gr. ludi theatrales; ex c. 12. *De vita et honestate Cler.* Sic ex c. 2. *h. t. in 6°*. prohibentur in rebus civilibus conciones, acclamationes et publica parlamenta; ex *Trid. sess. 22. De observand. et vitandis in celebr. Miss.* prohibentur fieri in Ecclesiis musicæ profanæ quæ nempe ad solam recreationem ordinantur. Hæc dicta sint de prima parte juris immunitatis.

4. Secunda pars consistit in libera commoratione quæ etiam dicitur *jus asyli*, eorum qui ad locum immunem confugiunt. Hoc jus competit locis hucusque descriptis, et insuper competit parti exteriori Ecclesiæ nempe tecto, scalæ, parieti externo. Competit etiam cœmeteriis separatis ab Ecclesiis si auctoritate ecclesiastica sint ad sepulturam fidelium deputata, necnon competit Monasteriis et conventibus religiosorum cum spatio clausuræ et omnibus locis piis et ad charitatis opera exercenda auctoritate Episcopi erectis, et deputatis. DD. tribuunt etiam jus asyli palatio episcopali.

5. Gaudere possunt jure asyli ex sacris canonibus omnes sive baptizati sive non; nam non est in bonum personarum sed ob decorem religionis inductum est. Quam rationem etiam leges civiles agnoverunt et penes falsas religiones. Effectus hujus juris est ut reus a loco immuni extrahi invitus non possit, secus sit eodem loco restituendus. Quoniam vero quædam crimina, uti videbimus, excludunt hoc jus, hinc quando curia sæcularis exposcit reum, debet reus Episcopi auctoritate et præsentis persona ecclesiastica ab eo deputata transferri in carcerem ab Episcopo determinatum ut interim informationes capi debeant ut de qualitate criminis cognoscatur. Si patet reum imputari de crimine excepto a jure asyli, Curia episcopalis tradit reum potestati laicæ sub obligatione tamen eundem restituendi quoties reus de crimine excepto sese purgaverit. Ita Bened. XIII. in Const. *Ex quo divina*. Cum immunitas localis sit de jure communi, in ea dispensare non possunt ordinarii. Hinc licentiam extractionis reorum concedere possunt solum in casibus exceptis. Solet a Summo Pontifice per organum

S. Congr. Immunitatis concedi ad triennium quædam facultas ut liberius possint in hac materia procedere.

6. At quæ crimina excludunt jus asyli?

Casus hujusmodi ab auctoribus exponuntur, et deducuntur præsertim ex Const. Greg. XIV. *Cum alias*, Clem. XII. *In Supremo*, Bened. XIII. *Ex quo divina*, et Bened. XIV. *Officii nostri ratio*. Præcipue vero excluduntur a jure asyli latrones publici, qui parant insidias ad viatores occidendos necnon grassatores viarum. 2°. Rei homicidii sive proditorii sive animo præmeditato, et deliberato commissi, necnon qui mandatum, consilium, instigationem aut auxilium cooperativum occisori præstiterint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium venerit. 3°. Qui mutilationem patrat in Ecclesia vel cœmeterio sive percussor sit in Ecclesia sive extra. 4°. Rei læsæ majestatis ob actionem pariter injuriosam in personam principis.

Animadvertendum est reum confugientem ad Ecclesiam jure asyli gaudere solummodo si cesset esse noxius, si enim eligeret locum sacrum ut tutius crimina patraret, excluderetur ab asyli beneficio.

7. Violantes leges asyli præter culpam sacrilegii incurrunt in pœnam excommunicationis latae sententiæ, a qua absolvi nequeunt nisi restituant reum extractum violenter Const. Greg. XIV. *Cum alias*. Const. *Apostolicæ Sedis* inter excomm. Romano Pontifici simpliciter reservatas sub a. V. legitur contra 'Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violantes'. Privantur etiam omni privilegio ecclesiastici confugii seu asyli. Tandem animadvertimus quoad modum observandi legem asyli plurimum valere consuetudinem locorum.

8. Immunitas *realis* in eo consistit ut bona Ecclesiæ et clericorum sint immunia seu exempta a jurisdictione civili, et ab oneribus et exactionibus in societate civili communibus. Si de rebus Ecclesiæ sermo sit, nemo est, qui non videat res consecratas vel benedictas esse prorsus exemptas a civili potestate, quia Deo sunt dicatæ, et quoad civiles effectus nullius esse censentur. Igitur sermo restringitur ad bona temporalia Ecclesiarum et clericorum. Nomine Ecclesiæ veniunt etiam monasteria et causæ piæ. Porro bona hæc quocumque ex titulo etiam civili ad Ecclesias vel clericos provenientia jure canonum reali gaudent immunitate ita ut

etiam prohibeatur ipsis clericis quominus sese offerre aut præstare possint ad solvenda tributa, et exactiones regiæ potestatis administris. Quodsi vero Episcopus cum suo clero videat societatem civilem angustiis premi, ita ut vel necessitas vel magna utilitas verificetur, non prohibentur taxas sibi imponere ut civili gubernio auxilium præstent. Hæc habentur constituta in *capp. 4. et 7. h. t.* et in *capp. 1. et 3. eod. in 6º.* Quibus accesserunt *c. un. eod. in Clem. Const. Leon. X. Superna 5. Maji 1514 § 4º.* necnon *Bulla Cæne § 18.* et tandem Tridentinum in *c. 20. sess. 25. de Ref.* At sensim sine sensu factum est, ut, immutatis rerum adjunctis, Ecclesia toleraret communes impositiones civiles super bonis temporalibus Ecclesiarum vel clericorum sive patrimonialium sive beneficialium. Semper vero ut injuriosæ et læsivæ immunitatis Ecclesiæ considerantur leges illæ, quæ specialibus gravaminibus bona temporalia Ecclesiarum, vel clericorum subjiciunt. Quemadmodum esset lex quæ majus onus seu taxam imponeret alienanti bona sua, si in favorem et utilitatem Ecclesiæ alienaret, vel de iisdem diserneret.

9. Immunitas personalis in eo consistit ut clerici eximantur a jurisdictione cujusvis sæcularis potestatis. Hæc exemptio potest considerari 1º. relate ad leges civiles cujusque generis; 2º. relate ad judicia; 3º. relate ad munia publica subeunda. Primam quæstionem absolvimus in tit. De Constit. Secunda pertractatur in lib. 2. ubi de privilegio fori relate ad clericos agitur. Breviter de tertia. Munia publica quæ possunt considerari sunt: munus tutelæ, exercitium curiæ et armata societatis defensio in militia. Ad primum subeundum cogi nequeunt clerici præsertim cum jure canonum clericis committitur solum tutelam vel curam suscipere suorum aut viduarum, et pupillorum seu miserabilium personarum ex sensu *capp. 1. et 2. h. t. seq.* Secundum munus ob actualem rerum conditionem sub obligatione amplius non cadit, cum plurimi sint qui eligant curiæ inservire. Tertium remanet munus seu officium militiæ quod clericis interdicitur in *c. 2. h. t.* Clerici enim militiæ Ecclesiæ jam mancipati sunt. Cui rationi et alia accedit quia nempe officia militis non aptantur lenitati et mansuetudini, quæ Clericorum propria est. Hinc injuriosa status clericalis et Ecclesiæ immunitatis esset lex, quæ clericos militiæ oneri subiceret.

TITULUS L.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

1. Rubrica tituli præceptiva est et refert præceptum Apostoli 2. ad Tim.: 'Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus'. In *c. 1. h. t.* plures species negotiorum clericis interduntur de quibus actum est vel in tit. *De vita et honestate Clericorum* vel in titulis *De postulando* et *De procurationibus* uti esset officium defensoris causarum et susceptoris aliorum negotiorum. Ex *c. 2. h. t.* clerici prohibentur esse ministri, et procuratores laicorum. Hisce obiter notatis pressius tituli dispositionibus inhærentes negotia clericis interdicta explicabimus. 1º. Ex *capp. 3. et fin. h. t.* clericis et Religiosis interdicitur in scholis et universitatibus publicis jus civile et physicam idest medicinam audire et ex *c. 9.* clericis majoribus prohibitum est exercitium artis chirurgicæ quæ adustionem vel incisionem inducit. Ratio prohibitionis prioris partis ex conditione temporis eruitur, scilicet ex vitio clericorum et religiosorum qui plurimi facientes studia humanarum scientiarum parvi pendebant studia sacræ theologiæ. Quare immutatis circumstantiis non admodum urget prohibitio præsertim quoad studium juris civilis ob contrariam consuetudinem. Exercitium vero artis chirurgicæ interdicitur ob periculum irregularitatis, et quia revera est officium sæculare, ob quam rationem DD. tenent prohiberi etiam clericis exercitium artis medicæ. Arg. *c. 1. h. t.* et *c. 7. De ætat. et qualit. et ord.*

2. 2º. Ex *capp. 5. et 9. h. t.* clericis prohibetur ne iudicium sanguinis exerceant, idest ne sententiam mortis aut mutilationis proferant. Ex *c. 7. h. t. in 6º.* excipiuntur Episcopi, vel alii clerici temporalem habentes jurisdictionem, ita ut sine metu irregularitatis committere aliis possint causæ criminalis cognitionem et decisionem. Ex Constitut. autem Leonis X. *Etsi pro cunctarum 28. Junii 1514 § 15* Gubernator Romæ et ejus officiales non incurrunt ullam censuram vel irregularitatem per comminationem vel impositionem pœnæ mutilationis membrorum vel capitalis. Cæterum in *c. 9.* prohibetur clericis ne quidquam faciant quod directe tendat ad vindictam sanguinis. Hinc si litteras aut scripturas ex officio elaboraverint ad conficiendos processus, ex quo sententia sanguinis secuta est, certum est irregulares fieri, quemadmodum

S. Congr. Conc. die 19. Jan. 1686. declaravit: Non incurrunt vero Clerici irregularitatem quoties causam intentant coram iudice civili solummodo pro emendatione damnorum ex crimine capitali derivantium obtinenda. Tandem sciendum est ex c. 9. Clericos non posse assistere executioni sententiæ sanguinis.

3. 3°. Tertio loco interdicitur clericis negotiatio. At negotiatio alia est propria, alia impropria. Proprie dicta negotiatio consistit in habitu emendi res fungibiles, aut etiam non fungibiles mobiles, ut carius sub eadem forma vendantur. Sub eadem forma, idest prout acquisitæ sunt. Impropria negotiatio locum habet cum res acquiruntur ut ex industria et labore in aliam formam transmulentur et majoris pretii capaces reddantur. Prior negotiatio ex c. 6. h. t. interdicta est clericis sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. Conc. Trid. in c. 1. sess. 22. De Ref. renovat antiquas pœnas, et decernit majores infligendas Ordinarii arbitrio. Nec excusantur a pœnis si nomine et pro aliis eandem negotiationem exercent. Bened. XIV. Const. *Apostolicæ servitutis* 25. Febr. 1741. Pius IV. vero Const. *Deus*, 3. Nov. 1560 bona acquisita a clericis ex illegitima negotiatione cameræ spolii addixit. Impropria negotiatio interdicta non est clericis, nisi plus æquo negotiationi dent operam in detrimentum officii sui, vel nisi sermo sit de industria abjecta, et vili quæ clericum dedeceat. Tandem sciendum est ex resolutionibus S. Congr. Conc. relatis a Giraldo in parte 2. *Exp. juris Pont. ad cap. 1. sess. 22. De Ref. in Tridentino*, Clericis licere agros beneficii et bonorum patrimonialium laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis; pariter posse pro culturæ usu boves et alia animalia emere, illorumque fructus justo pretio et honesta ratione vendere; et aliis omissis posse clericos retinere vel locare boves, et oves, et alia animalia, quæ habent ex successione, ex decimis necnon fructus illorum vendere, item vendere posse frumentum et alios fructus collectos ex bonis patrimonialibus et Ecclesiasticis pro sua et familiæ sustentatione.

Index rerum.

- | Titulus I.
De vita et honestate Clericorum.
pag. 5—20. | |
|--|--|
| 1. Duplex status personarum in Ecclesia, jure divino, clericorum et laicorum. | 14. Quando accessus sit frequens, morali iudicis æstimatione decernitur. |
| 2. Quinam sint Clerici, in pœnalibus nomine clericorum non comprehenduntur Episcopi et alii dignitarii, excepta excommunicatione latæ sententiæ. | 15. Regularibus autem interdicitur quilibet accessus, absque licentia. |
| 3. E contra in favorabilibus; item in obligationibus pro honestate vitæ. | 16. Excipiuntur confessarii tum regulares tum sæculares, et alias ex officio. Specialis dispositio Benedicti XIV. relate ad confessarios extraordinarios post expletum officium. |
| 4. Item omnes qui Religioni approbatæ addicti sunt. | 17. 2°. Abstinendum clericis a crapula et ebrietate. |
| 5. Item eremitæ, benedicti et deputati ad aliquam capellam. | 18. Hinc prohibetur accessus ad cauponas, nisi ex necessitate. |
| 6. Clerici tenentur ad specialem vitæ honestatem. | 19. Item ludis aleatoriis deservire. |
| 7. Decreta Episcoporum circa morum correctionem non admittunt appellationem in suspensivo. | 20. Item choreæ. |
| 8. Honestas proprie est interior. | 21. Sed Episcopo cavendum est a nimio rigore contra ludentes. |
| 9. Canones disciplinares proprie agunt de exteriori. | 22. 3°. Cavendum ab avaritia. |
| 10. Et importat I°. diligentem executionem officiorum singulis propriorum. | 23. In specie prohibentur sententiæ venales, etsi de cetero honestæ. |
| 11. II°. Importat morum gravitatem; et præsertim I°. caste et caute vivere; 2°. abstinere a crapula et ebrietate; 3°. avaritiam fugere. | 24. Excipe esculenta et poculenta modica, ex liberalitate, aut expensas extra domicilium. |
| 12. Plura specificantur pro caste et caute vivendo. | 25. Item expensæ pro assessore necessaria, exigi possunt. |
| 13. Speciatim de vetito frequenti accessu ad moniales. | 26. III°. caput est decentia exterioris habitus. |
| | 27. Origo vestium usualium specialium pro clericis. |
| | 28. Tridentinum tribuit Episcopo determinationem vestium clericorum majorum vel beneficiatorum. |
| | 29. Sixtus V. extendit ad omnes clericos. |
| | 30. Et præcipit vestem talarem et tonsuram. |